

*156. Instrumentum venditionis
di Antonello de Vitellis in
favore della Ss. Trinità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*156. Instrumentum venditionis
di Antonello de Vitellis in
favore della Ss. Trinità*

1455-09-28

(c. 304r) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quatragesimo quinquagesimo quinto, regnante serenissimo et illustrissimo domino nostro domino Alfonso Dei gratia rege Aragonum, Sicilie citra et ultra farum, Valentie, Hierusalem, Ungarie, Mayorice , Sardinie et Corsice , comite Barchinone , duce Athenarum et Neopatrie ac etiam comite Rossilionis et Ceritanie, regnorum suorum anno quadragesimo, regni vero huius Sicilie citra farum vicesimo primo feliciter amen, die vicesimo ottavo mensis septembris, quarte inditionis, apud civitatem Potentie.

1

Nos Antonius Stalesius de Venusio, habitator civitatis Potentie et ipsius civitatis pro presenti anno quarte inditionis preditte annalis iudex, Matheus de Sacco de Potentia publicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico venditionis instrumento fatemur, notumfacimus et testamur quod eodem die eiusdem ibidem coram nobis eisdem presentialiter et personaliter contitutus Antonellus de Vitellis de Potentia non vi, dolo, malo, metu ductus, ut dixit, nec aliquibus suasionibus ad id circumventus, sed sua gratuita et spontanea voluntate, quia sic eidem utile et expediens visum fuit, pro suis utilitatibus et negotiis peragendis, palam, pure, publice et bona fide, sine aliquo colludio et vitio pravitatis vendidit venditionisque titulo alienavit et per fustis traditionem assignavit iure proprio et interpetuum venerabili domno Nicolao Cappe, archipresbitero venerabilis ecclesie A Maioricarum

Sante Trinitatis civitatis eiusdem, ibidem presenti nomine et pro parte honorabilis ecclesie Sante Trinitatis et ipsius ecclesie successorum // (c. 304v) ementi et recipienti, subscriptas terras sitas in tenimento civitatis eiusdem, in contrata Gallitelli, confinatas ut dixit a parte superiori iuxta terras ecclesie Sante Trinitatis preditte limite comuni mediante; ab uno latere iuxta vineam Antonelli de Auriliano sepe mediante; ab alio latere iuxta terras Santi Onofrii limite mediante; a parte inferiori iuxta isclam domni Luce de Coffo limite mediante et alios fines veriores, si qui sunt, francas quidem terras ipsas, liberas et exemptas ab omni onere servitutis, redditus sive census, cum omnibus et singulis suis iuribus, redditibus et proventibus, introitibus et exitibus suis, egressibus et regressibus ac cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eisdem terris pertinentibus quoquomodo ac cum omnibus que infra continentur confines usque in vias publicas et cum integro statu suo; et dittus venditor prefatum archipresbiterum, quo supra nomine emptorem, in corporalem possessionem dittarum terrarum coram nobis per fustem induxit ad verum dominium et proprietatem ipsius ecclesie Sante Trinitatis et ipsius ecclesie successorum ad habendum, tenendum, possidendum, intrandum, permutandum et faciendum de ipsis terris et in eis quicquid ipse archipresbiter quo supra nomine «emptor» voluerit et placuerit et ipsius ecclesie successores, quoniam venditor ipse in eisdem terris nihil sibi reservavit et suis heredibus et successoribus nec quomodolibet retinuit, cum viis suis ad dittas terras rette intrandi et exeundi ac cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eis pertinentibus quoquomodo et cum integro statu suo. Pro qua quidem // (c. 305r) venditione et alienatione predittus venditor coram nobis contentum se vocavit et

confexus fuit recepisce et manualiter habuisse a prefato archipresbitero quo supra nomine emptore, nomine pretii et finalis pagamenti in carlenis argenti, sexaginta per unciam et duobus pro tareno quolibet computatis, iusti ponderis usualis pecunie regni, tarenos viginti quinque, totum silicet pretium venditionis ipsius, promittens dittus venditor, per se suosque heredes et successores ditto archipresbitero, quo supra nomine emptori et pro ipius ecclesie successoribus stipulanti, litem, controversiam vel questionem aliquam de dittis terris venditis ullo unquam tempore non inferre nec inferenti consentire vel assentire, sed dittam venditionem et omnia et singula supradicta et infrascripta firmam et firma, gratam et grata ac ratam et rata habere, tenere et numquam contrafacere, dicere, opponere vel venire per se suosque heredes et successores aut aliquos quovismodo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto, modo, ingenio seu cautela si dittas terras ditto archipresbitero quo supra nomine emptori et huius ecclesie successoribus ab omni homine et persona quacumque legitime defendere et guarentire, disbrigare ac de evitione teneri sub pena dupli pretii supradicti, medietate ipsius pene regie curie vel alteri curie ubi exinde fatta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate ditto archipresbitero quo supra nomine emptori et pro ipsius ecclesie successoribus persolvenda, me predicto notario tamquam persona publica // (c. 305v) pro parte ditte curie et ditto archipresbitero quo supra nomine emptore et pro ipsius ecclesie successoribus a prefato venditore sollemniter stipulantibus penam ipsam; qua commissa vel non commissa, soluta vel non soluta aut exatta vel non exatta seu gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret

cum refettione et integra restitutione omnium dapnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tantum ditti archipresbiteri quo supra nomine emptoris et ipsius ecclesie successorum, nulla alia probatione quesita, itaquod redduci non possit ad arbitrium boni viri nec exinde aliter reclamari seu quomodolibet appellari. Et renuntiavit super hiis dittus venditor voluntarie et expresse eidem archipresbitero, quo supra nomine emptori, exceptioni doli mali, vis, metus et in fattum, presentis non sic celebrati contrattus, exceptioni deceptionis et fraudis reique predicto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur et est expressum, exceptioni ditte vero pecunie non solute, <non numerate>, non habite et non recepte ac non boni argenti, legi resissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur, exceptioni ditte venditionis non huiusmodi fatte et secute realiter modo predicto et preditte pecunie non recepte, non habite, non numerate et non consignate ei ab emptore predicto et non boni et ponderati argenti; legi dicenti probationis modum non esse angustandum et bona capta incontinenti vendi non // (c. 306r) posse et subastationis fieri et certum tempus expettari debere ad illa vendendum et generaliter omnibus aliis auxiliis omnium iurium atque legum et iuri dicenti generalem renuntiationem non valere ac iuri per quod cavetur quod ditto iuri renuntiari non possit, quibus et per que ditta venditio, confexio et scripti huius tenor posset in aliquo minui vel infringi; certioratus predittus venditor, ut dixit, de iuribus ipsius et effettibus eorumdem quod renuntiaret eisdem. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis, quodque preditta omnia et

eorum singula vera sint et in nullo unquam vacillent,
dittus venditor ditto archipresbitero, quo supra nomine
emptori, coram nobis presenti et recipienti, corporaliter
tatta prestitit ad santa Dei evangelia iuramentum
et fuit attum infra partes ipsas, pro cautela ipius
archipresbiteri quo supra nomine emptoris et ipsius
ecclesie successorum, quod si in presenti instrumento
aliqua iuris vel fatti sollemnitas deficeret, quod tacite
et expresse intelligantur in eo et totiens refici possit,
corrigi et emendari ad sensum sapientis eligendi per
ipsum archipresbiterum quo supra nomine emptorem et
ipsius ecclesie successorum, quotiens opus erit, veritatis
forma et substantia non mutata. Unde ad futuram
memoriam et ditti Antonelli venditoris preces prefatique
archipresbiteri quo supra nomine emptoris et ipius
ecclesie successorum cautelam, fattum est exinde hoc
presens publicum instrumentum per manus mei preditti
notarii, signo // (c. 306v) meo solito signatum, mei
cuius supra iudicis ac nostrum subscriptorum testium
subscriptionibus et subsignationibus roboratum.

2

3

4

5

6

A Scalesius

A Zappe

A Aviliano

A Zoffo

A donandum

8

7

8

9

10

11

12

13

Quod scripsi ego idem Matheus publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus rogatus interfui
ipsumque meo signo consueto signavi. (SN) † Ego
Antonius Stalesius qui supra annalis iudex interfui †
Ego Mathias Cappellus testis † Ego notarius Iacobus
de Bono Ioanne testis sum † Ego domnus Gaspar de
Vineola canonicus Potentinus testis sum † Ego Baldasar
de Aprutio testis sum † Ego Angelillus de Paldonia testis
sum

14

A retinuit

A reservavit

A trattatu

A bene

A assignate

A substationes

A qui

A Scalesius